

1755  
O. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE

FLVORE ALBO

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE WESTPHALIAE RELIQA

D. IMPERAT. AVG. SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS  
PRAEFECTO AC LEGIONIS PEDESTRIS AEQVE  
AC EQVESTRIS TRIBVNO

PRAESIDE

IO. ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAX. DVCVM CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO  
TOTIVS ACADEMIAE ET FACVLT. MEDICAE SENIORE  
ACAD. NAT. CVRIOSOR. COLLEGA

PRO LICENTIA GRADVM DOCTORIS

MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDI

PVBlicae ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOSVIT

AVCTOR

AVGVSTIN. MICH. EILHARDVS

FRANCOHVSANO - SCHWARZBVRGICVS

AD D. XXVIII. FEBRVAR. AN. MDCCXLIII.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

VENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

Pathol. spec.

522, 8

Mar 2048



DISSEMINATIO IN ITALIA

DE

# FRANCORUM ALBO

9748

LECTORUM MAGISTRICENTISSIMO

SESSUANO RINCOE AC DOMINO

DOMINO

## FRANCISCO AVGVSTO

DUCE SEPTUAGESIMO IVTO CIVITATE MONTIVM ANNA

REALE VNIVERSITATE PAVIAE

IN THEATRO SVMMO TOTIVS CAESARIS PONTIATVS

FRANCISCO AC REGIONIS PEDIATRIE REGIS

AC PEDIATRIE TRIBVNO

PAULI

## IO: ADOLPHO WINDLIO

PHYSICI ET MEDICI PRAECEPTORIS ET CHIRURGI REGIS

SESSUANO RINCOE AC DOMINO

TOTIVS CAESARIS PONTIATVS

AC PEDIATRIE TRIBVNO

FRANCISCO AVGVSTO

SESSUANO RINCOE AC DOMINO

AC PEDIATRIE TRIBVNO

PAULI

## AVGVSTINUS WINDL

PHYSICI ET MEDICI PRAECEPTORIS ET CHIRURGI

SESSUANO RINCOE AC DOMINO

AC PEDIATRIE TRIBVNO

FRANCISCO AVGVSTO





I. N. L.



§. I.

FLUOR albus est excretio præternaturalis humoris serosi per vaginam vteri successiua, & a mensibus diuersa, eueniens, ab eiusdem adfluxu maiore, refluxu autem imminuto, dependens, variasque molestias excitans.

§. II.

Est itaque excretio præternaturalis, adeoque symptoma excretorum. Præternaturalis est; in statu sano enim nunquam fit, nec fieri debet. Materia autem, quæ excernitur, serosa est, & vel sola quantitate, vel vna qualitate, vel hac seorsim, peccat. Successiua est, cum non nisi lente ad vaginam accedat, & ex hac iterum exeat. A mensibus diuersa est, hi enim sæpe vel præcedunt vel sequuntur, & hic fluor seorsim videtur; præterea menses decolores existentes vel pallidi, sanguinem, licet paucum, admixtum habent, quod in fluore albo non fit.

A 2

§. II.



## §. III.

*Causa huius excretionis immediata* est adfluxus huius humoris ad vaginam maior, refluxus autem ex eadem minor. Humida enim semper debet esse vagina vteri secundum naturam, hoc autem fit a feri blandi accessu, quod tamen diu persistere ibidem, citra corruptionem, haud potest, adeoque hoc successiue redire in massam sanguineam solet, nouumque, loco huius, accedit, & ita vigor eiusdem conseruatur, absque metu putrilaginis. Quodsi itaque ad vaginam tantum accedit ex massa sanguinea, quantum ex vagina ad eandem redit, nullus effluxus e vagina extra corpus fieri potest, & humida sic semper conseruatur vagina vteri. Quodsi autem maior feri adfluxus ad vaginam contingat, quam ad eam humectendam sufficit, & ex eadem reducitur, augetur eiusdem quantitas, vt omnis adhærere superficiei internæ vaginæ haud queat, sed descendere seu defluere, adeoque ex eadem effluere, debeat. Patet ergo, feri adfluxum ad vaginam maiorem, quam refluxum ad massam sanguineam, *causam immediatam fluoris albi esse.*

## §. IV.

Fit autem adfluxus feri ad vaginæ superficiem internam partim ex lacunis seu osculis, quæ circa vterum & circa os vaginæ hinc inde reperiuntur, fetas sæpe admittentes, quarum multæ ex *prostatibus Bartholini*, seu glandulis subtus hærentibus, oriuntur; partim ex osculis arteriarum vteri extremarum, quæ in vterum & vaginam hiant, & mensium tempore, magis aperta, sanguinem fundunt, extra hoc tempus autem, mino-



minorem aperturam habentes, serum tantum transmittunt, & quidem magis fluxile, vt ex lacunis magis crassius seu mucosum, aut glutinosum, exire consuevit, quale etiam ex ostiolis, in ceruice vteri reperiundis, secernitur.

## §. V.

Refluxus serii autem ad massam sanguineam debitus ex vagina vteri, ipsoque vtero, fit per oscula tam venarum, quam vasorum lymphaticorum. Dari oscula venosa in corpore generatim, probari satis potest, cum resorptio humorum extrauasatorum in hydrope, contusionibus, empyemate, aliisque malis, fiat, & partes internæ, quarum superficies in statu naturali irrigata a sero blando semper deprehenditur, non possent tali beneficio frui, nisi accessus ex sanguine, & recessus in eundem, fieret lymphæ blandæ balsamicæ, hoc autem sine talibus osculis venosis fieri haud potest. Manifeste autem magis in vtero, eiusque vagina, reperiuntur talia oscula venosa, dum venæ sanguiferæ flatus, in easdem impulsos, ad vteri & vaginæ cauitatem transmittunt, & si per cauum vteri & vaginæ flatus vrgeantur, hi ad venas dictas penetrant. Vasa lymphatica talibus osculis gaudere, satis manifestum est, alias enim lymphæ in ea penetrare & in eisdem prouehi non posset.

## §. VI.

In dictis itaque partibus adfluxus maioris & refluxus minoris causa hæret. Apertio enim paulo maior osculorum arteriosorum, tam in superficiem vaginæ vteri internam, quam in prostates *Bartholini* & reliquos lacunarum fontes, hiantium, copiosiore serii exitum



exitum præbet, quod hinc etiam in lacunis, seu osculis ipsis, circa vrethram & orificium vaginæ & in vteri ceruice præsentibus, valet. Æqualis itaque, ordinaria osculorum reuehentium apertura permanente, refluxus cum fieri haud possit, effluxus ex vagina necessario fit. Adeoque *apertio* illorum osculorum *præternaturalis* causa maioris adfluxus, & hinc etiam effluxus, est,

### §. VII.

Quodsi & refluxus impeditus sit, vt minor adhuc, quam naturalis, reddatur, eo magis excretio præternaturalis ex vagina promouetur, cum ita multo magis in eadem accumulatur. Fieri quidem etiam solet, vt in multis feminis, inprimis libidinosioribus magis existentibus, in congressu serum mucilaginosum, quale lacunæ laudatæ, seu oscula, alias fundunt, excernatur, sed hoc magis naturale est, & ad fluorem album non pertinet.

### §. VIII.

Apertionis præternaturalis osculorum causa est vel ipse humor transiens vitiatus, vel parietes osculorum laxiores redditi. Ipse humor transiens peccat vel quantitate, vel qualitate, vel motu. Quantitas humoris serosi maior, quam par est, si adsit, copiosior etiam huius secretio per oscula arteriosa fit. Pauciores enim tunc sunt globuli sanguinis, qui alias ingressum serii copiosorem in oscula prohibent, vt non, nisi hi ultra hanc aperturam transierint, serosæ particulæ intrare & secerni valeant. Globulis itaque sanguinis paucioribus præsentibus, serosæ liberiores & copiosiores accessum

sum



sum in oscula obtinent, adeoque apertionem præternaturalem præstant.

## §. IX.

Qualitas feri vitiosa est, apertionem osculorum præternaturalem faciens, si nimis tenue sit; hoc enim penetrat citius per oscula, & magis aperit, pluribus tunc penetrantibus & succedentibus talibus particulis, quæ si paulo tenaciores & gelatinosæ essent, non tam cito & copiose exire possent, sed potius maiorem quandam moram requirerent. Tenuitas autem hæc fit vel ob deficientes particulas gelatinosas, vel ob salinas, has resolventes, combinatas. Illud si fit, acrimonia nulla vel exigua coniuncta est; hoc autem si adsit, acrimonia diuerso gradu vna videtur, vt rodat, morsicet, imo & aliquando erodat.

## §. X.

Motu quoque aliquando serum hoc peccat, & apertionem dictam infert, si nimirum vna cum sanguine aliqualem leuiorem stasin in extremitatibus arteriarum subeat, vbi sanguis tardius in venas respondentes penetrat, & hinc per oscula hæc excretoria serum promptius & copiosius secedit, adeoque vel immediate in vaginam penetrat, vel ad glandulas, seu prostates *Bartholinianas*, reliquosque lacunarum fontes, abit. Crassa quidem, glutinosa, viscosa, materia in fluore albo etiam exire solet, minus autem hac consistentia, sed diluta adhuc a remixta lymphâ tenui ex sanguine secedit, & hinc vel in lacunarum fontibus prius consistentiam eiusmodi acquirit, subtilioribus & fluxilioribus particulis in his separatis & remotis, quod etiam in naturali

rali



rali statu, proportionate tamen, fit; vel, immediate ex sanguine in vaginam veniens, fluxilis prius, spissa euadit, si moram ibi quandam trahat, & fluxiliores ibidem resorbeantur. Ichorefcens etiam & acre serum aliquando quidem ex sanguine quoque tunc accedit ex vasis, sæpe tamen, haud acre existens, tale extrauafatum redditur, vel mitius acre hoc modo maiorem acrimoniæ gradum acquirit.

## §. XI.

Parietes osculorum laxiores si fuerint redditi, minus adhuc resistunt humori seroso transituro, sed facillime cedunt & ampliantur, vt sic quoque copiosius & facilius transire queat, quod, elatere horum integro, non tam prompte fieri valet. Oritur autem talis laxitas a sero nimis copioso, minusque spirituofo, & balsamico, ibidem persistente, vt & ab ipsis talibus partibus hic exeuntibus, quæ partim distendunt, partim laxant, fibras.

## §. XII.

Refluxus humoris serosi in præternaturali hoc statu ab ipso humore adfluente impeditur, si viscosior, vel nimis acris fit; ibi enim resorberi non potest ob crassitiem, hic autem oscula venosa ab acrimonia crispantur, vt intrare haud rite possit.

## §. XIII.

*Ex causis mediatis remotioribus naturalibus* temperamentum serosum & pituitosum huc pertinent, quod habentes frequentius ita exercentur, cum serum et pituita, secundum naturam iamdum abundans, facilius exorbitare ita possit, aliis causis concurrentibus, vt hoc  
nasca-



nascatur malum ; melancholicum temperamentum armoniæ producendæ fauet, vnde & hoc præfente, oriri folet. Videtur tamen etiam hic adfectus in sanguineis, biliofis & calidioribus, in primis otio & victu humidiori magis fi delectentur.

## §. XIV.

In ætate confiftente ab eo tempore, vbi menses ordinarie incipere folet, magis hic adfectus oriri folet, cum etiam tunc humores vitales maius incrementum, quam ad indiuidui conferuationem erat neceffarium, capiant, vnde ferum abundantius fimul adest, quod facilius vitium eiusmodi fubire potest, vt oriatur hic fluor. In declinante ætate etiam non raro occurrit hoc malum, in hac enim de vigore fuo recedere & vappescere fucceffive incipiunt humores. Non autem immune ab hoc vitio prorfus est minor ætas, licet rarius paulo. Ita obferuationes testantur, quod puellæ duorum annorum cum dimidio, fex, feptem, octo, nouem, decem, annorum ita laborauerint; humore ferofo hic quoque præternaturam exuperante & vitiofo reddito. Virgines itaque, adultæ etiam, non exemptæ sunt ab hoc fluxu, licet quidam falso putauerint, id fieri non poffe, nifi antea vitiatæ vel defloratæ fuerint. Experientia enim testatur, honeftiffimas, caftiffimas, & integerrimæ famæ, adfectas ita fuiffe. Coniugatæ haud raro ab hoc vexantur malo, fecundæ & steriles, nec grauidæ ab eodem sunt liberæ, potiffimum femellas gellantas, ex quibus quædam obferuatæ fuere, quæ per totum gellationis tempus ita laborarunt, absque eo, vt fetus noxam inde reportauerit, aliæ vero ma-

B

lestias



lestias insignes inde senserunt, quod pro reliquarum circumstantiarum conditione variare consuevit. Viduæ quoque fluori huic obnoxia sunt, tam iuniores, quam annosiores.

§. XV.

Habitus corporis mollior & serosior aptus huic malo magis est. Seri enim maiorem abundantiam notat, vnde hoc facilius exorbitare ita potest, & laxiores & teneriores fibras reddit. Facie pallida & alba quæ gaudent feminæ, cum eo ipso manifestetur, serum præ sanguine nimis abundare, ad hunc fluorem magis habiles esse deprehenduntur.

§. XVI.

*Ex non naturalibus causis* aer frigidus & humidus, vt alias morbis serosis inferendis aptus deprehenditur, ita etiam, in nostro malo inducendo multum valere, obseruatur. Seri enim separationem & distensionem impedit debitam, vnde angetur, & humidus magis adhuc serum accumulatur. Atque ex hac causa in regionibus frigidioribus & humidis, paludosis, crebrius se ostendit hoc malum, vt & tempore hiernali. Facit autem id aer, ita constitutus, vel si totum corpus ambiat, vel si seorsim regionem vteri, vt & partes inferiores adffigat, non satis his partibus ab eodem defensis. Aere, ita se habente, si aliud ambiens frigidum, grauius in primis, vt aqua frigida, corporis has partes contingat, multo magis noxius effectus inde sequitur. Mutatio aeris insignis multum quoque hic præstat, siue in eodem loco id fiat, vt, præsentem antea temperie aeris calida, si pluuiosa tempestas, statusque austrinus, diutius durans,



durans, subito ingruat, siue ex regione calida in frigidam fiat transitus, & sic subitanea permutatio. In priori enim statu serum superfluum, ipsaque salia, secernebantur & difflabantur, in altero vero subito retinentur, quæ parciore secretio & excretio postmodum a frigidiori aere permanente continuatur.

## §. XVII.

Alimenta frigida & humida, vt & alias inordinate, & nimis crebro, quod infantes & puellæ in primis faciunt, adsumta, dum serum nimis augent, partes sanguinis balsamicas & spirituosas minuunt, & cruditates copiosiores reddunt, multum damni hic inferunt. Viscida, lenta, tenacia, pituitosas partes augent, partes salino-volatiles debilitant & obtundunt, peregrinas autem acres retinent, & sic copiosiores reddunt, quod & acida, muriatica, copiosius sumta, faciunt. Lacticia igitur, farinacea, non fermentata, pultacea, leguminosa, pisces, in primis molliores, glutinosi, palustres, fumo & aere exsiccata, fructus horarii, pinguia, frixa, dulcia, oleracea, cochleæ, ostreæ, vt & nimis acria, acerba, austerâ, haud exiguum damnum hic adferunt. Potus aquosorum nimius, aquæ ipsius, in primis haud bonæ notæ, vt niuosæ; hinc & cereuisiæ secundaria, fæculentæ, non satis spirituosæ, serum copiosius, & ad ichorescentiam pronum, reddit. Somnus nimius serum excrementitium auget, spiritusque torpidos reddit. Vigiliæ nimia spiritus minuunt, & serum vitiatum reddunt, atque ad stasim disponunt.

## §. XVIII.

Motus deficiens, seu vita otiosa & sedentaria, secretio-



cretiones feri superflui, & partium lentarum ac viscidarum, hisque immerfarum salinarum recrementitarum, impedit, spiritibusque torporem infert, vnde ita viuentes feminæ in primis fluore albo corripuntur. Laboriosæ autem, & motu debito gaudentes, magis sanæ, & ab hoc malo liberæ, obseruantur. Animi pathemata in primis spiritus concentrantia & deprimantia, vt terror, sollicitudo, timor, tristitia, curæ, moeror, spiritus debilitant, minuunt, & motum humorum impediunt, & in concinnum efficiunt, eorumque qualitatem vitiosam reddunt. Excretiones feri superflui & recrementitii impeditæ, vt per transpirationem insensibilem, vrinam, aluum, menses, nares, haud fiant debite, ad vterum facile vt secedat, faciunt. Venus quoque nimis frequens adfluxum humorum ad vterum citando, spiritus dissipando, fibras laxando, occasionem huic adfectui præbet.

### §. XIX.

In *præternaturalibus causis* occurrit malum hypochondriacum, scorbutus, cachexia, in quibus serum vario modo vitiatum adest, & frequenter in vtero hunc effectum exhibet. Menses etiam nimii prægressi fluorem album post se reliquerunt aliquando, sanguine magis depauperato inde reddito, & sero recrementitio magis exuperante, laxitateque fibrarum relicta. In coniugatis etiam sterilitas pro causa a quibusdam habetur, quod tunc locum habere potest, si a simili feri vitio dependeat. Partus nimis laboriosus, mola prægressa, abortus crebrior, lochia imminuta & deprauata, secundinarum violenta & inconcinna extractio, læsiones vteri aliæ, ab externis causis factæ, vt a contusione,



tusione, fluxui huic quoque haud raro occasionem dedere, cum fibras vteri debilitatas & laxiores, humorumque motum debitum impeditiorem, fecerint.

## §. XX.

Differentia fluoris albi, ab ipso humore seroso exeunte desumta, ab eius qualitate, & quantitate dependet. Qualitatis, & speciatim consistentiæ, ratione est humor hic vel crassior, viscosus, pituitosus, spissior, instar albuminis oui, aut mucî, vel tenuis aquosus instar muriæ vel aquæ puræ, ichorefcens. Purulenta autem materia pura si exeat, ad fluorem album proprie non pertinet, sed vlcus, seu abscessum, vteri pro fundamento habet, tum alias, tum a lue venerea præfente, vnde & gonorrhæa a quibusdam hæc excretio dicitur, & quidem virulenta, si impurus coitus eam induxerit, adeoque a fermento venereo dependeat. In fluore albo autem aliquando quidem, serum exiens acrimoniam talem si adquisuerit, vt exedere & exulcerare possit fibrillas, aliqua, sed superficialia tantum, exulceratio adest, & longe alia, vnde faniosus, non autem mere purulentus humor tunc exit. Color etiam diuersus humoris huius serosi occurrit, ordinarie albicans est, & aliquando lacteus videtur, interdum flauescens, rarius viridescens, liuidus. Sæpe odorem nullum obtinet, quandoque autem, in primis in radicato malo, foetidum & graueolentem, & qui ferri vix potest, exhibere solet. Acrimonia vel abesse solet, vt mitis minusque rodens deprehendatur; vel manifesta & maior se exerit, vt falsus, morficans, corrodens, adurens sit, interdum & vesicas, & leuiorem exulceratiorem, in parti-



bus, quas contingit, excitet. Quantitas humoris exe-  
untis non tam a simultanea excretionē, quæ semper  
successiva & lenta est, sed a continuatione effluxus æsti-  
manda est, quæ hinc vel maior vel minor occurrit.

§. XXI.

Ratione durationis fluor hic est vel recens, vel in-  
ueteratus. Ratione temporis, quo exercet feminas, vel  
continuus est, vel per intervalla rediens. Ille sine ces-  
satione constanter adest; hic autem præsens desinit ite-  
rum, & post tempus aliquod redit: ordinatus aliquan-  
do hic reditus est, quod tamen rarius fit, ut vel ante  
menses, vel post eosdem, imo & cum illis, videatur;  
frequentius autem sine vlllo ordine inuadit & abit, semel  
bis, ter, in mense. Quando humor serosus glutinosus  
sine vlla acrimonia & dolore per intervalla moderate  
excernitur, symptomatibus aliis grauioribus non appa-  
rentibus, quidam cum *Grafio de mul. org.* ad fluorem al-  
bum non referunt, sed gonorrhoeam vocant, & nonnulli  
*veram*. Verum, cum non tam semen, quam lymphæ  
glutinosa, mitis exeat, ad ipsum fluorem album potius  
pertinet. Pro causarum diuersitate & conditione, alius  
est vel mitior & leuior, vel grauior, symptomata simi-  
lia ostendens. Videtur etiam vel solitarius, vel aliis  
morbis combinatus. Benignus hic fluxus esse magis  
solet, sibi relictus, qui cum gonorrhoea virulenta vene-  
rea, confundendus non est, vbi malignitas se exerit,  
purulenta materia cum dolore mordaci exeunte.

§. XXII.

Cognosci nostrum malum haud difficulter potest,  
cum ægræ recte referre possint & soleant, humorem  
talem



talem ex muliebribus exire, & molestiam ipsis creare; eius quoque consistentia, color, & reliquæ qualitates, vt & quantitas, duratio, tempus exeundi, & reliqua determinari ab iis possunt, quæ obseruarunt, sique hæc sponte haud recenseant, quæstione apta ex iisdem explorari debet. A sola quantitate serosi humoris esse, docet absentia doloris, reliquorumque symptomatum, sola enim madefactio locorum muliebrium molesta tunc est. Acrimonia serosi humoris biliosa, acida, falsa, vel alia, si adsit, pro mitiori vel grauiori eiusdem gradu, symptomata varia se exerunt, pruritus, dolor, morsicatio ardor, vires imminutæ, lassitudo grauatiua corporis, tristitia, pallor faciei, dolor lumborum, nutritio suspensa, aliaque; tartaro imprægnatum magis si fit hoc serum, lacteus humor exiens reddi etiam solet. Putrilaginosâ humoris exeuntis si euadat resolutio, fœtor minor, vel maior, coniungitur. Malum hypochondriacum, scorbutus, cacochymia, aliaque adfectus, si malum foueant, vel occasionem eidem dederint, eorundem notæ, seu signa, præsentia, aut antecedentia, id manifestant, vt & causæ aliæ manifestæ prægressæ.

## §. XXIII.

Mitior fluor albus, recessum grauiorem a statu naturali non habens, nec symptomatibus grauioribus stipatus, periculum vitæ haud adfert; a grauioribus autem causis inductus & fôtus, vehementioraque symptomata, & morbos alios periculosos, si inferat, vitæ etiam exitium adferre potest. Curationi facile cedit, si recens adhuc sit, ægra in vegeta ætate alias sit constituta, nec a grauiori causa foueatur. Difficillimæ  
autem



autem curationis est, si habituatus iam sit, aliaque mala grauiora vel prægressa, vel comitantia, vel subsequencia habeat, imo haud raro plane insanabilis redditur.

## §. XXIV.

Euentus certum tempus non habet malum nostrum. Leuius citius superari potest, vti exempla testantur, quasdam intra quatuordecim dierum tempus, alias mensis spatio restitutas fuisse, alias vero longiori mora opus habuisse; radicatum enim diutius durat, priusquam remoueri possit, in primis si a malo hypochondriaco, vel scorbuto, vel cachexia &c. foueatur. Chronicum itaque tunc malum est. Imo insanabile etiam hoc vitium, in vetulis potissimum, licet optima fuerint remedia adhibita, permansit, & cum alias vehemens haud fuerit, citra vitæ noxam ad extremam ætatem durauit, alio tandem morbo, ab hoc non dependente, mortem adferente. Alium autem in morbum si transeat, huius culpa ortum, tunc exitus tempus a noui huius morbi natura & conditione dependet.

## §. XXV.

Motus euentus ad sanitatem fit, emendatione peccantis ferosi humoris, eiusque remotione, hinc & fibrillarum robore restituto, fouentisque causæ correctione, quod per artem fere tantum perfici potest. Ad mortem abit, si cachexia grauior, hydrops, accesserit immedicabilis, aliquando etiam febris hæctica & marasmus superueniens vitæ finem imponit.

## §. XXVI.

Curatio fluoris albi postulat, vt adfluxus ferosi humoris ad vaginam vteri maior, refluxus autem ex eadem

eadem



eadem minor, in statum conuenientem redigatur. Cum autem adfluxus huius maioris causa sit apertio osculorum, humorem hunc adferentium, præternaturalis, hæc ante omnia corrigenda & in ordinem redigenda est. Refluxus autem minor ex vagina, cum ab ipso humore adfluente vitiato proueniat, (§. 12.) huius correctione cedit.

## §. XXVII.

Apertio præternaturalis osculorum laudata, quoniam vel ab ipso humore transeunte vitiato, vel a parietum osculorum laxitate, dependet (§. 8.), hæc vitia vt tollantur necesse est, si apertionem debitam restaurare velimus. Quantitas itaque, qualitas, & motus humoris serosi corrigi, parietes autem osculorum roborari, debent.

## §. XXVIII.

Quantitatem humoris serosi excedentem minuunt euacuantia. Ex his occurrunt *lenientia* & *purgantia mitiora*, quæ etiam, si humor turgeat, & ad exitum habilis iam sit, in principio statim adhiberi queunt, alias autem ea præmittenda sunt, quæ correctionem eius præstant, vt aptus prius euadat, & rite euacuari possit. Sunt autem talia lenientia & blanda purgantia *gialapa*, *rabarbarum*, *fenna*, *spec. diasenn.* *pilul. aloet.* *tartareæ Schroeder.* *Wedel.* *pil. desuccin.* *Cratonis pil. de gummat. Sylu.* quibus & aliquando *merc. dulc.* addi poterit. Quod si cruditates tales serosæ & pituitosæ in ventriculo hæreant, & sic fomitem fluxui huic præbeant, etiam *vomitoria* huic euacuationi inserviunt, vbi a quibusdam electuar. de *asaro Fernelii* laudatur, potest tamen *tartarus emeticus*, vel *rad. ipecacuannæ*, adhiberi.

C

beri.



hiberi. In grauidis autem præstat, hanc omittere euacuationem.

§. XXIX.

Euacuant etiam *diaphoretica*, volatilia, media, & fixa, quæ pro circumstantiis specialibus præsentibus eligi debent, vt profint, non autem noceant. Ex volatilibus sunt spiritus cornu cerui, eboris, liqu. c. c. succinat, liqu. ebor. succin. camphora ipsa, prudenter adhibita, sal volatile c. c. eboris, &c. aliaque. Media sunt tinctura bez. *Wedelii*, & aliorum, ess. alexipharm. *Stabili*, ess. lignorum, ess. ligni sassafr. scordii; decocta, vt ligni sancti, rad. sarsaparill. chin. & generatim lignorum. Fixiora habemus antimon. diaphor. martial. cachect. bez. Iouiale, cinnab. natiua, antimonii, reliquaque satis nota. Aliqui etiam per balnea vaporosa Iaconica euacuare student, quam in rem impendunt decocta ex *rad. valerianæ*, helen. aristol. rot. rub. tinctor. *herb. meliss. nepeth. calamenth. rosmar. serpill. abroton. hyssop. artemis. summ. aneth. flor. chamom. & similibus*, quæ tamen hodie vix in vsu sunt. Optime quoque euacuant *diuretica*, sed talia, quæ ichorescentiam feri simul corrigere valent, vnde eadem tunc recensēbimus, quando ichorescentiam remouentia trademus. Venæsectio ad serum hoc euacuandum utilis non est, vnde omittenda potius. Plethora autem si iuncta sit, vel status biliosus eam requirat, tunc alia res est, & tamen moderata esse debet.

§. XXX.

Qualitas feri vitiosa *nimia tenuitas* si sit, & quidem ob defectum partium gelatinosarum, hanc corrigunt partim purgantia blanda, iam laudata, quibus nimium abun-

abun-



abundans humidum depletur, & sic residuæ gelatinosæ consistentiam aptiorem conciliant sero; partim absorbentia blanda & roborantia, vt c. c. philos. ppt. ebur sine igne ppt. lap. canceror. & similia. A salibus resolventibus autem orta si sit hæc tenuitas, eadem conueniunt, quæ ichorescentiæ debentur, mox consideranda.

## §. XXXI.

Motu peccans serum si cum sanguine aliqualem stasin subierit, & apertionem osculorum præternaturalem ex hac causa præstet, stasis hæc expedienda est, vt serum, per venas rite cum sanguine rediens, huc vergere, & oscula dialatare, haud possit. Oritur autem hæc stasis vel a spissitate, vel ab acrimonia, sanguinis leuiori, quarum illa, lente magis vt penetrare in venularum extremitates possit, facit, ob lentorem; hæc autem, crispaturam aliqualem extremis vasculis inferens, aliquam angustiam inducit, vnde itidem tardius sanguis pergere potest, serum autem per oscula excretoria vrgetur. Vt ergo leuior hæc stasis expediatur, & spissitas sanguinis, & eiusdem acrimonia, corrigi debent. Vtrumque præstant diaphoretica laudata media & fixa. Si autem hæc ab obstructione viscerum in malo hypochondriaco, vel scorbuto, vel hysterico, dependeant & foueantur, anthypochondriaca, antiscorbutica & antihysterica iungi, & interponi, debent.

## §. XXXII.

Serosa materia crassa, glutinosa, viscosa, si exeat, mitior tamen, & in subiectis iunioribus, magis libidinosis, vel virginibus, vel viduis, venerem non exercentibus, partes salinæ mitiores, stimulum venereum alias præstantes,



stantes, in culpa vna sunt, vnde & citra noxam ordinarie adesse solet tunc fluxus, & hinc vel sponte iterum cessat, vel continuans per antaphrodisiaca, vt sem. cannabis, viticis, fol. salicis, nymphææ, rutæ, menthæ & c. tolli potest, vel, si reliquæ circumstantiæ permittant, per coniugium, vbi optime cedit.

§. XXXIII.

Reliquis in casibus materia crassa, glutinosa, in fluore albo exiens, a massæ sanguinæ tali statu dependet, vt crassæ, lentæ, tartareæ, in eadem abundant, sed vel dilutæ a lymphâ tenui, præsentē adhuc, vel a salinis resolutæ, per oscula excretoria copiosius transeant, postmodum vero in lacunarum fontibus, vel in vagina vteri, spissitatem adquirant (§. II.) Qualitatem itaque hanc vitiosam corrigere si velimus, abundantes hæ partes in sanguine & emendandæ & minuendæ sunt. Sic enim nec ad lacunarum fontes, nec ad vaginam, copiose abire & spissitudinem ibi maiorem recipere, valent. Emendant autem has partes incidentia, & resoluentia, minuunt euacuantia. Resoluunt & vna minuunt *diaphoretica* iamdum recensita. Non minus huic scopo egregie inserviunt *diuretica*, maxime, quæ ichorescentiæ feri simul debentur, & ideo in hoc malo pro specificis magis habentur, quod haud raro sola subigere obseruata sunt, de quibus paulo post dicemus. Speciatim autem harum particularum productio & augmentatio a viscerum obstructione æquabili & debilitate prouenit, in affectu hypochondriaco, scorbuto, cachexia. Quodcunque igitur horum vitiorum adsit, hoc per remedia cuique conuenientia expugnari, adeoque prouentus harum partium nimius præcaueri, præsentium autem im-

minu-



minutio præstari, sic quoque debet. Euacuant has particulas non solum diaphoretica & diuretica, per dicta, sed etiam purgantia blanda recensita, conuenienter interposita.

## §. XXXIV.

Ichorescentia & acrimonia humoris serosi itidem massæ sanguineæ vitio cum debeatur, licet in his partibus sæpe magis extrahatur, & grauior fiat, (§. 10.) necesse est, vt præsentis iam in massa sanguinea particulae hæ salinæ temperentur & minuantur, nimius autem eorundem prouentus præseruetur. Eo ipse enim simul in vteri partibus dictis iam hærens tale serum vna & correctionem & remotionem acquirit, meliorisque notæ serum, & proportionate, accedit. Temperantur hæ particulae efficaciter admodum, & vna euacuantur, a *diureticis*, sale volatili oleoso gaudentibus, cum non solum sulphureis & salinis volatilibus obtundantur hæc salia, resolutionem mixto inferentia, verum etiam per vias vrinarias euacuentur. Talia hinc sunt *rad.* zedoar. asari, bardanæ, apii, ononidis, pimpinellæ alb. filipendulæ, caryophyllatæ, galangæ, farsæpar. bryon. fœnic. rub. tinct. aristol. rotundæ, apii; *herba* rosmar. meliss. hyssop. puleg. artemis. saluiæ, menthæ, calamenthæ, marrubii, chamædr. scord. sclareæ; *flores* cheiri, galeopsidis, calendulæ, matricar. acaciæ, beton. rosmar. *semen* dauci, anis. ammeos; *lignum* assafras, sanctum, lign. sandal. citrin. aloes, cassia lign. costus ver. anthophyll. baccæ iuniper. & similia. Ex his parata decocta, etiam paucioribus, vt ex rad. asari & apii, Galeno teste; vt & ex rad. filipendulæ, & sem. dauci, iuxta Sim. Pauli nec non ex sol. herb. rosmarin., variis id obseruantibus, cu-



rationem exactam præstiterè. Possunt etiam, reliquis circumstantiis consentientibus, infusa inde parari.

§. XXXV.

Ex diureticis balsamicis in primis est succinum, quo, vel solo etiam, plures sunt restitutæ, siue succinum alb. ppt. siue essentia eiusdem, siue cum aliis combinata, exhibeantur. Ita etiam terebinthinata efficaciam egregiam præstant, tam alias præparata si propinentur, quam ad duritiem cocta, vt Cypria, si pulueribus reliquis iungantur. Diuretica resoluentia, & simul absorbentia, etiam utilia hic sunt, vt lap. caneror. os sepiæ ppt. sem. lycopod. test. ouor. calcinat. &c.

§. XXXVI.

Ichorescentiam quoque corrigunt absorbentia alia, quæ salia imbibunt, & humores ita edulcant, vt c. c. philos. ebur simili modo paratum, vtraque vsta, corallia, mater perlar., osteocola, crystall. montana ppt. quæ adhuc magis utilia sunt, si olei vel caryophyll. vel fassifr. vel succin. alb. vel anisi, vel sceniculi, gutta j. pro pluribus dosibus misceatur. Eum gradum si adquisierit ichorescentia humoris serosi, vt fœtorem quoque spiret abominabilem, vel mitiorem, præter balsamica, & sale volatili oleoso feta, maxime congrua est camphora, varia ratione reliquis addita, vel interposita.

§. XXXVII.

Minuunt & corrigunt salia, ichorescentiam inferentia, diaphoretica quoque enarrata. Minuunt purgantia, reliquis præmissis adhibita, iam proposita. Minuuntur quoque, si prouentus horum salium impediatur nimius.

§. XXXVIII.



## §. XXXVIII.

Nimius prouentus salium, ichorescentiam inferentibus, a visceribus debilitatis & obstructis cum dependeat, itidem anthypochondriaca, antiscorbutica & anticachectia eundem auertunt. Locum itaque habent his malis debita, si adsint & foueant hunc adfectum. Vtilia itaque tunc sunt pulueres aperientes ex croc. martis aperitiuo vario, lapide sapphir. occid. cinnab. natiu. rad. ar. pulu. stomach. *Querc.* pimpin. alb. zedoar. lapidibus cancror. pulu. e chel. cancror. succin. alb. ppt. antim. diaph. martiali cach. oleoque destillato ex dictis aliquo iuncto; Tincturæ martiales, cydon. pomata, helleborata, addito arcano tartari vero, ess. lignor. succini, pimpin. alb. rosmarin. zedoar. vel simili; ess. vitrioli mart. *Ludouic.* reliquaue dictis adfectibus speciatim congrua, non omissis euacuantibus aptis.

## §. XXXIX.

Spectatis, quæ quantitatem & qualitatem humoris serosi vitiosi corrigunt, restant adhuc ea, quæ osculorum parietes laxos roborant. Robur autem his accedit simul ab omnibus, quæ iam fuere proposita, feri enim quantitate ad decentem proportionem reducta, & qualitate eiusdem debita restituta, fibræ prompte elaterem suum recipiunt. Maxime autem ex laudatis huic scopo satisfaciunt martialia, salino-sulphurea volatilia, salino-oleosa, hinc & absorbentia, quibus & castoreum, eiusque essentia, hoc fine addi poterit. Exterius quoque hoc nomine commendantur *fotus* ex rad. aristol. rot. zedoar. herb. valerian. rosmarini, calamenth. pulegii, menthæ, meliss. agrimon. abroton. beton. nepeth. origa-



origani *flor.* matric. chamom. simpl. & Rom. *sem.* dauci, & similibus, quibus lumbi & regio pubis foueri possunt, si opus sit. Laudantur etiam *suffitus*, mediante infundibulo in vaginam deriuandi, ex succino, thure, gummi animæ, mastiche, sandaraca, styrace, benzoe, gummi opobalsamo, benzoe, sandalo citrino, *foliis* saluiæ, floribus verchasc. rosar. caryoph. arom. nuc. moschat. Olea quoque, regioni pubis & lumbis illita, aliquando locum habere possunt, ex ol. succin. alb. lign. sassifr. caieput, rosmarin. rutæ, menthæ, oleo petræ alb. diffusioribus exceptis seu remixtis, oleo castorino, rutaceo, vel simili. Balnea, quæ alias proponi a quibusdam solent, vix conueniunt; magis adhuc, omnibus adhibitis, nec sufficientibus, thermæ aliquando, vel Carolinæ vel Aquisgranenses, vel aliæ, tentari possent. Ordinarie autem sola interna sufficere solent, si sanabile sit malum.

### §. XL.

Omnibus dictis succurrere debet diæta congrua, sine qua nec optima remedia satisfacere valent. Aeris itaque constitutio frigida vitetur, et temperate calidus procurandus est. Alimenta noxam inferentia, superius enarrata, abesse debent maxime, et potus aqueus nimius prohibendus, moderate spirituosus autem commendandus. Otium et vita sedendaria mutetur, ita, vt motus decens et proportionatus obseruetur. Somnus, spiritus reficiens, est necessarius, nimius autem absit. Adfectus animi, spiritus deprimentes, et secretionem vitiosarum partium impediens, caueantur. Excretiones vtiles et necessariæ conseruandæ, inconuenientes autem moderandæ veniunt.

SOLI DEO GLORIA!

\* \* \* \* \*